

**S**COTIA regnum Albionis pars Septentrionalis vocatur: terra per pinguis & Sulphurea, atque ob id combustilis, ac lignorum penuriam subleuans; vnde mos inoleuit, vt mendicantes circa ædes sacras, lapides accipiant in elemosynam, struendo foco aptos. Læca nonnulla habet in quibus triticum nō crescit, massam tamen ex auenæ farina subigunt, Rei pecuarie perinde vt Angli maximè dedisti, vnde lanificijs ditantur plurimum. Asperior est, minulque quam Anglia culta montes etiam hinc inde habet, verum pabulum ferentes præstantissimum. Fertur in regiuncula quadam Scotia, quæ Cloid fluuiu alluitur, Argadia ei nomen est, lapidem nasci, qui paulò diutius stupræ subiectus incendium faciat. Regia eius est Edinburghum, Alata castra vocant; prope hanc portus celebris est, Lethe dictus. Archiepiscopales, & gymnasij celebres ciuitates sunt, S. Andreæ, Glasque, Aberdoræ, quæ mercatu etiam ob portus commoditatem, felix est. Habet & alia emporia, & sunt Dunæ, Monros & S. Iani. Circa Aberdorum montes sunt asperrimi, & equitatu inaccessi, ac iuxta montes sylua, quæ estimatur Chaledonia antiquorum esse. Scotos à pictura corporis appellatos esse volunt σχότοι enim Græcè tenebras sonat vel σκοτία, id est furia, tenebrae. Vetus enim mos illis erat, peccus, brachia & manus encausto figurare euntibus ad bellum (quod tamen hodie non seruatur) ut tebantur autem Glasto, herba plantagini simili, quæ (vt Cæsar ait) cæruleum efficit colorem, ut horridiores hosti se ingererent in prælio, vnde Martialis cæruleos Britanos dixit,

Claudia cæruleis cūmsit Russina Britannis Edita.

Mores Scotorum Anglorumque parum differunt, idem ferè habitus, lingua penè eadem, subita ingenia, & in vltionem prona ferociaque; in bello insignes, mitiores tamen aliquando Angli, quamvis enim ferum & in hospitale vulgus ignobile sit, ciuilior tamen est nobilitas, hospites amicè salutant, magisque obuij ad humanitatis officia sunt. In bello nec agri nec vrbes violentur, sed dimicatur ad internecionem alterius partis usque Rigidiores Anglis aliquantò sunt Scotti, inuidi natura, & reliquorum, maximè aduenarum, contemptores iactabundi, nobilitatemque suam insolenter ostentantes, ita ut in summa mendicitate audeant referre genus suum ad stirpem regiam. Scotia pars Austratissima est sub Parallello 19. dies autem maxima horarum 18. Borealisima subest 21. Parallello, & est dies horarum 19. Terminatur autem ad Ortum quidem Oceano Germanico, ad Syrachum Tueda fluui, ad Austrum Saluvva fluui, ad Lebeccium & Zephyros mari Hybernicos, ad Trasciam & Septentriones Oceano Deucalidonio. Verum & illud hic obiter memorandum duximus, quod, de mari Scoto scribunt Boethus & Iouius, gignere nimirum anseres quos Clakis nominant, è lignis in ipso putrescentibus. Primùm nascuntur (inquit) vermiculi tanquam teredones, qui interiora ligni excavantes, paulatim enatis capite, pedibus atque alis, tandem plumas edunt, & cùm ad domesticorum anserum iustum ipsis magnitudinem excréuerint, cælum petunt, reliquarum avium more. Nascuntur & in testis veluti concharum, quæ complexu ramorum, & caulis in alga marina concepto, intus huiusmodi auem fouent, ac tandem produnt. Atque haec de qualitate regni. Si quantitatem requiras, habere videtur Anglia in longum milliaria Germanica 82. Anglicæ 293. in latum Germanica 89. Anglicæ 320. Scotia autem in Longitudinem extenditur milliariorum Germanicorum 67. Anglicorum 257. In latitudinem autem Germanicorum 52. Anglicorum 190. ita ut tota insula in longum extendatur milliaribus Germanicis 149. Anglicis 550. at ubi latitudinem habet, Germanicorum 89. aut Anglicorum 320. Latissimam namque esse compertum est.



libri